

1769.

27. Name, Christianus Ursus : De nuptiis contum  
et baruum ob conjugis constitutum in aequalium iugis.  
Tis
28. Schmitius, Christianus Heurtem : De legi veteria  
Tarpeia
29. Schott, Augustus Fiducianus : De iusto praescriptiōne  
tempore impotens hereditate pendens libens defi-  
nito.
30. Sezerus, Ioh. Theophilus : De secessione cadaveris  
occisi.
31. Sezerus, Ioh. Theophilus : De successorio electo.
32. Sezerus, Ioh. Theophilus : De conjunctione lucis et saffra-  
gi in mortuis provincialibus cum domino praedicto oratione  
notitiam.
33. Sezerus, Ioh. Theophilus : Tabulae quæstiones de  
foro militari in Saxonia
34. Sezerus, Ioh. Theophilus : De oblatione sanctissimam  
ad opes per praescriptiōnem acquirendā vel fallende.

1769.

35. Hugely, Christianus Hudrosus, fac. iur. pro cancellarius  
familis regnantis suo auctoritate mortuorum haeredibus  
mercedem integrum annuum posse tam item, sive sororum  
pro eorum salute recompensa salvandam esse. Pia  
gramma, quo solennia doctoralia Joh. Iac. Henr. Hermann.  
nsi inditum.

36. Zeller, Fredericus Galliib, fac. iur. pro cancellarius  
An ob sponteum delinqüentis post formata super  
zaka, confessionem, paena ordinaria lucum habeat.  
Programma, quo solennia doctoralia Caroli Benja-  
mini Staffelii inditum.

37. Zollerus, Fredericus Galliib: De iure causularum  
baniarum.

38. Zollerus, Fr. J. Galliib: Annullam capita fundi  
quod Germanice vocatur in Lehn-Hann.

39. Zollerus, Fr. J. Galliib: Utrum debitori, quem uiuere  
ob viliorem tutori salutem monitam convenient, contra  
tutorem compedit regnos?

1769.

70. Zollerus, Fridericus Galli: De cahere datione  
bona mente facta.
71. Zollerus Fridericus Galli: Analecta de iure  
detractionis speciatim fofo Saxonice acco-  
modata
72. Zollerus, Fridericus Galli: Utrum delitor,  
qui solutionem in chirographo promittit, exceptio-  
ne compunctionis etiuc aliquat?
73. Zollerus, Frid. Galli: Utrum vidua, quae  
existentibus liberis portionem hereditariam pe-  
lit, propria bona confere lencatur?



Pri. 62. num. 41.

1769. 29.

3

DE  
IVSTO PRAESCRIPTONIS  
TEMPORE IN PATERNA  
HEREDITATE PETENDA  
LIBERIS DEFINITO  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E

P. 304.  
AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE  
ANTIQUITATVM IVRIS PROFESSORE PUBLICO, ACADEMIAE ELECT.  
MOGUNTINAE SCIENT. VTL. SOCIO ORDINARIO,  
ET SOCIETATIS LATINAIE IENENSIS  
COLLEGA HONORARIO

DIE XXXI. IAN. A. O. R. CICICCLXIX.

H. L. Q. C.


D I S P U T A B I T

HENRICVS GOTTHELFF KLETTE,  
D R E S D E N S I S

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



1620 BRAHMI  
TEMPORI IN KATERNIA  
RESTITUTAE PETENDY  
THEATRIS DESENTO  
THEATRIS ICHONIENSIS VULPENAE  
RATASIDE

AGASIO BRIDICIO SCHOTT

BRIDICIO AGASIO SCHOTT  
THEATRIS ICHONIENSIS VULPENAE DOCTER  
THEATRIS ICHONIENSIS VULPENAE DOCTER  
THEATRIS ICHONIENSIS VULPENAE DOCTER  
THEATRIS ICHONIENSIS VULPENAE DOCTER  
THEATRIS ICHONIENSIS VULPENAE DOCTER

HENRICUS GOTTHILF KIRCHE

THEATRIS ICHONIENSIS VULPENAE DOCTER



§. I.

*Instituti ratio.*

Litem adgredior inter ICtos celeberrimos, eos in primis,  
qui in rerum vsu versantur, agitata, de iusti tem-  
poris lapsu, quo ius petendi hereditatem paternam  
aut auitam extinguitur, aliis ad ordinariam omnis  
petitionis hereditatis praescriptionem, quae, vt in vulgus no-  
tum est, ob mixtam huius actionis naturam XXX. annis absolu-  
uitur, hanc speciem referentibus, aliis multo longiorem anno-  
rum seriem exigentibus. Quod argumentum quamvis a LV-  
DOVICO<sup>a)</sup> et CRELLIO<sup>b)</sup> data opera tractatum fuerit, vi-  
denter tamen non omnia ita a viris doctissimis exhausta esse, vt  
nihil amplius, quod adiiciatur, superfit. Non autem longus ero  
lectoribus molestus in hereditate, petitione hereditatis, et praec-

A 2 scripti-

a) Iac. Frid. L V D O V I C I Diff. de praescriptione nonagenaria. Hal.  
1718.

b) Cypb. Lud. C R E L L I I Diff. de praescriptione petitionis hereditatis  
paternae et auitae, Vitemb. 1738.

◆ ◆ ◆ ◆

scriptione definiendis, nec dicam, quis sit pater aut auus? cur et quomodo liberi succedant parentibus? Talia enim tractanda relinquo iis, qui suas disputatiunculas vnius fere horae spatio, nec sine acerrimis Prisciani doloribus, quos hic ex vulneribus sibi inflicti sentit, in chartam coniectas ita adornare solent, ut compendiolum ex compendio illos scripsisse iures. Nos igitur ad rem.

### §. II.

#### *Caput controvrsiae exponitur.*

Varias esse rerum atque iurium praescriptiones, neminem fugit, qui iurisprudentiam vel primis attigit labris. Generalis tamen, si de actionibus quaeris, ab HONORIO ET THEODO-  
SIO in L. 3. C. de *praescript. XXX. v. XL. annor.* recepta est regula, actiones, inque his potissimum personales, triginta annorum lapsu extingui, nisi aliud tempus alicui forte actionum generi leges expresse definierint. Quod quidem ius etiam ad hereditatis petitionem, qua contra eius possessorem verus heres experitur, pertinere, non est cur dubites, cum ea sit in numero earum actionum, quae mixtae vocantur, quia duplī ex fonte, cum reali iure, tum personali, proueniunt, quod satis loquitur L. 7. C. de *petit. hered.* Ibi enim: *Hereditatis petitionem, quae aduersus pro herede vel pro possessore possidentes exerceri potest, praescriptione longi temporis non submoueri, nemini incognitum est; cum mixtae personalis actionis ratio hoc respondere compellat.* Quamuis autem hac in lege non expressa tricennialis praescriptionis mentio fiat, tamen post Theodosianam constitutionem de tempore actionum ultra XXX. annos non prorogando ea aliter intelligi nequit. Quod si enim longum tempus ad extinguendam hereditatis petitionem non sufficiat, longissimo, quod XXX. annis ex regula absolvitur, ea tollatur necesse est. Haec quidem adeo sunt certa atque expedita, ut nemo ea in

in dubium vocare velit. At de singulari specie huius actionis lis inter interpres deprehenditur. Fuerunt enim, qui quærerent: an liberis hereditatem paternam aut auitam a possesso petitur idem tempus currat? existimantes, ob fauorem, quo liberos iura nostra prosequuntur, illud esse multum prorogandum. Nec desunt argumenta speciosa, quibus suam tuerunt cauillam. At haec ad iusta principia redacta et cum legum rationibus comparata plane collabuntur. Quapropter non potui hoc a me impetrare, ut fidem illis haberem, ratus potius, nullam hic esse liberorum praे extraneis hereditibus præscriptionem, sed illis aequa ac his triginta annorum lapsu perihereditatis petenda facultatem. In quibus opinionibus dijudicandis hunc seruabo ordinem, ut variis eorum, qui vltra XXX. annos præscriptionem hereditatis petitionis extendunt, sententiis commemoratis atque explicatis, rationes, quibus nituntur, infringam, ultimo loco veram sententiam defensurus ac corroboratur.

### §. III.

#### *Sententiae Doctorum variae.*

Colligenti mihi suffragia interpretum de quaestione proposita, eorum quidem, qui de causa liberorum in hac præscriptionis specie dissentient, quatuor classes constitui posse videntur. Multi ac plurimi liberos a petitione hereditatis paternae et auitae *nonaginta* demum annis excludi affirmant. Alii ad *centum* et *viginti* annorum spatium progredi non dubitant. Quidam non tantum quidem, quantum reliqui, tempus exigunt, sed triginta tamen annis *unum* adhuc eumque utilem adiiciendum putant. Alii denique statim triginta annis elapsis hoc ius liberorum aequa, ac extraneorum heredum, finiri statuunt. De singulis igitur dispendiendum.

A 3

§. IV.

## §. IV.

*Mens eorum, qui nonagenariam praescriptionem defendunt.*

Si auctore*m* et primam quasi originem eius sententiae, quae nonaginta annorum lapsum ad ius petendi hereditatem paternam extinguendum desiderat, ex me quaeris, non habeo, quod respondeam, nisi hoc, inueteratum hunc esse errorrem, olim in foro ybius receptum, hodie tamen fere feliciter profligatum. Glossae certe, ex qua plerique, quibus iurisprudentia deformis est, errores promanarunt, hic nulla culpa tribui potest, cum ne verbum quidem de hac quaestioni ibi occurrat. Vnde ὁ βλεψιας rei sunt, qui glossae auctoritate hanc opinionem inuectam esse scribunt, quod vitium v. c. in CARPOVIVM<sup>c)</sup> atque CRELIVM<sup>d)</sup> cadere animaduersti. Primi potius BARTOLVS atque BALDV, quorum tamen mens ne recte quidem percepta fuit a recentioribus, huic errori occasionem dedisse videntur. Ab hoc igitur tempore, quo vniuersum forum BARTOLI ET BALDI effatis regebatur, coepit constans fere esse doctorum opinio, contra liberos hereditatem petituros non nisi nonagenariam praescriptionem currere. Nam quamvis plerique ad iustas legum rationes rem componentes subolerent, ius ciuale receptae sententiae vix adfistere, tamen secundum fori ysum ita pronuntiandum esse, tantum non omnes forenses ICti sibi aliisque persuaserunt, quorum Manes excitare, cum nomina in omnium sint ore, supersedeo. Cumque postea accessisset CARPOVII l. c. consensus, qui strenuum defensorem nactus est in primis PHILIPPVM<sup>e)</sup>, diu ea regnauit in ysu rerum, dum permulti nostri

c) CARPOVIVS in *Definit. forens.* P. III. Const. 14. Def. 30.

d) CRELIVS Diff. cit. §. IX.

e) IO. PHILIPPI VL Praet. Inst. L. III. Ed. 34.

\* \* \*

nostri seculi ICti non omnia a maioribus recepta adhuc seruanda, sed solam argumentorum vim ponderandam esse recte existimantes, eandem in ipsis causis diuidicandis defererent, de qua re postea dicendi locus erit. Age vero videamus, quibus tandem rationibus superstruxerint illi suam sententiam. Sunt autem tria argumenta, quae ab iis laudantur, fauor liberorum, beneficium liberorum bonorum possessionem praetoriam triplici ex iure perere valentium, auctoritas denique interpretum indeque natus fori vsus. Ac praecipua quidem causa, quae efficit, ut in variis argumentis excogitandis nimis indulgerent ingenio, ex nimio liberorum fauore arcessenda videretur. Animaduertentes enim, plura interdum dari in iure civili liberis ut suis heredibus, quam extraneis, haerentes porro in **VLPIANI**<sup>f)</sup> verbis, qui ait, non actandos esse liberos in bonorum paternorum possessione petenda, qui paene ad propria bona veniunt, considerantes denique ipsum illud condominium rerum paternarum, quod liberis in potestate constitutis tribuitur, quodue, ne liberi facile hereditate paterna excludantur, suader, cooperunt coniucere, ius civile etiam in termino petendae hereditatis magis fauere liberis, ac extraneis, nilque aequius esse duxerunt, quam ut liberis multo longius spatium, intra quod hereditatem parentum a possessore peterent, relinqueretur. Circumspicientes autem, ex quo in primis capite iuris civilis probabiliorem redderent suam conjecturam, substituerunt in editi successorii rationibus, ubi firmissimum suae causae praefidium se inuenisse arbitrati sunt. Rem ita habe: Bonorum possessione a Praetore introducta et, ut certus in ea petenda ordo seruaretur, edito successorio proposito, quo caustum, ut primo loco liberi, post legitimis, tandem vero cognati vocarentur, ita quidem, ut ipsis omnientibus elapsi definito

f) **VLPIANVS** in Cap. I. §. 12. D. de success. edit.

\* \* \*

definito tempore ius petendi bonorum possessionem ad illos  
deuolueretur, sed ne illis quidem intra iustum spatiū peten-  
tibus, his demum, nempe cognatis, bonorum possesso  
competeret, hoc, inquam, iure introducto simul inualuit, vt  
liberis ex triplici persona petere liceret, adeoque filius ex edi-  
cto Vnde liberi bonorum paternorum possessionem intra  
annum non desiderans iure tamen suo non excideret, sed pos-  
set, hoc licet termino praeterlapso, adhuc altera editi partē  
vnde legitimi, tamquam agnatus vti, et si nec hoc intra cen-  
tum dies fecisset, ipsi beneficium cognatorum ex edito unde  
cognati per alios centum dies salutum maneret. Vide sis tit.  
Pand. de success. edit. et in primis cap. I. §. II. VLPIANO rem  
ita explicante: Sed videndum est, an inter ceteros ipse quoque, qui  
exclusus est, admittatur, et puta, filius est in potestate; delata est  
ei bonorum possesso ex prima parte, unde liberis desertur: exclusus  
est tempore aut repudiatione: ceteris desertur: sed ipse succedat sibi  
ex hac successoria parte? Et magis est, vt succedat, et unde legiti-  
timi possit petere, et post hos suo ordine ex illa parte, unde proxi-  
mi cognati vocantur. Et hoc iure utimur, vt admittatur. Poterit  
igitur sequenti parte succedere ipse sibi. Item hoc dici poterit et in  
secundum tabulas bonorum possessione, vt, si secundum tabulas non  
petierit bonorum possessionem is, qui potuit et ab intestato succedere,  
ipse sibi succedat. Ergo ex vnu fori Romani non vnu spatiū  
legitimi negligentia sufficiebat, sed triplicis temporis lapsu  
opus erat ad priuandum filium bonorum possessione sive con-  
tra tabulas paternas, sive secundum eas ipsi competente. Hoc vero,  
quod breuiter delineavi, ius singulare liberis bo-  
norum possessionem peritris concessum, illi, qui nonagenaria  
praescriptionem hereditatis petitionis descendunt, ad here-  
ditatem ciuilem eiusque petitionem adcommmodant, existi-  
mant, eadem beneficia, quae cum bonorum possessione  
coniuncta sunt, absque vlla difficultate etiam ad hereditatem  
ciuilera

ciuilem trahi posse. Triplicem enim comminiscuntur liberorum ab intestato ex ciuili iure succedentium hereditatis petitionem, quarum nullam altera consumi docent, sed aliam post aliam diuersis temporibus liberis ita tribuunt, vt prima per triginta annorum praescriptionem consumta alteram, et hac quoque totidem annorum lapsu elisa, tertiam iis concedant, vt adeo spatium nonaginta annorum conficiatur, antequam penitus iure suo exclusos conqueri possint liberi. Quod ne sine causa dictum videatur, triplicem personam hic etiam, vt in bonorum possessione, liberos sustinere tradunt, primo quidem tricennio illos tamquam *suos*, altero tamquam *agnatos*, tertio tamquam *cognatos* petere posse a quocunque possessore hereditatem paternam vel autam. Vnde consequi aiunt, non nisi finitis tribus tricenniis, h. e. nonaginta annis, omne ius liberorum penitus perimi. His ratiociniis adiiciunt aliud argumentum ab auctoritate ductum. Laudant enim communem interpretum consensum, quibus BALDVM atque BARTOLVM vulgo constituant antesignanos, eosque nonagenariam praescriptionem in hac causa constanter docuisse vrgent. Quam ob causam sententiam in foro semel receptam deserere nefas putant, et religioni sibi ducunt quam maxime. Quod argumentum video multis ICtis adeo plactuisse, vt in responsis suis, ex hac mente datis, quorum nonnulla apud CARPOVIVM l. c. PHILIPPVM l. c. atque WERNHERVM<sup>g)</sup> occurunt, vel hoc solo vterentur, rati, ita decidendum esse nach gemeinen Schluss der Rechtsgelehrten. Certe in Saxonia hanc opinionem receptam esse, CARPOVIVI aetate nemo fuit, qui dubitaret. Tantum saepe valet vnius hominis auctoritas.

### §. V.

#### Diluuntur argumenta.

Cum autem non sufficiat rationes alicuius sententiae commorasse, sed praestet earum vim ac valorem ponderare, et quantum

<sup>g)</sup> WERNHERVS Observat. forens. P. III. Obs. 69.

\* \* \*

tum salua veritate saluaque iurisprudentia iūs tribui possit, adpareat, mei iam esse puto, easdem sub examen vocare, eo quidem, quo superiori §. a me proposita sunt, ordine. Ac primum quidem argumentum a liberorum fauore ductum quod atinet, haud negamus, multa ac singularia beneficia liberis successuris in iure tribui. At cum doctorum non sit priuilegia nullibi fundata concedere, nec ea, vbi reperiuntur, ultra verba ac mentem legislatoris extendere, aut ad alias plane species trahere, corruit profecto totum hoc de praescriptionis tempore liberis hereditatem petitur ob fauorem legum multum prorogando commentum. Nam nec verba legum, nec sensus earum talem fauorem ostendunt. V L P I A. N V S, cum dicit, non arctandos esse liberos in bonorum paternorum possessione petenda, de sola bonorum possessione, non etiam de hereditate civili intelligi debet, quod cuius sanis oculis hunc locum insipienti sine difficultate occurrit. In illa quidem artus ac nimis breuis terminus, quippe vnum tantum annum comprehendens, definitus est, non aequae in hac, vbi tempus petendi pererum leges esse voluerunt. Sed nec ex eo, quod liberis aliquod rerum paternarum condominium tribuatur, fauorable quid pro eorum causa in amittenda temporis lapsu petitione extorqueri recte potest. Nam veri quoque domini bona sua praecriptione legitima amittunt.

§. VI.  
Continuatio.

Accedo ad alteram rationem, in qua maximum suae sententiae praesidium quaerunt nonagenariae praescriptionis defensores, quamque triplici spatio ac iure ex editi successori rationibus liberis cap. I. §. 2. D. de success. edit. concessio arcessunt. In quo argumento confutando nemo ANTONIO FABRO<sup>b)</sup> copiosior ac diligentior fuit, qui doctissimis profecto et acutissimis telis adversarios profligauit. Hunc igitur sequamur ducem egregium-

Ac

b) ANT. FABER *de error, prag. P. I. Dec. 3. Err. 8.*

Ac primo statim loco eleganter is obseruauit, edictum successorum proprium ius olim fuisse praetoriae iurisdictionis, summa quidem aequitate inductum, sed tamen aiuris ciuilis ratione omnino alienum. Nam neque in suis heredibus, neque in agnatis ius ciuitalem, qualem hoc edictum constituit, successionem admittebat. Hinc fiebat, vt suo herede se abstinentre aut proximo agnato repudiante, nullus sequentium graduum liberis aut agnatis locus relinqueretur, sed bona fierent vacantia, quasi tota potestate legis XII. tabularum in primo suorum aut agnatorum gradu consumta, propterea quod non potest videri suis heres esse, qui primum in morientis patris familia gradum eo tempore non obtinuit, vt appareat ex cap. VII. D. si tab. testam. null. exstab. nec agnato ciuibet lex desert hereditatem, sed ei tantum, qui delatae hereditatis tempore proximior reperitur. Quod quidem ius vsque ad Iustiniani tempora obtinuisse, PAVLLI<sup>i)</sup>, CAII<sup>k)</sup>, VLPIANI<sup>j)</sup> AVCTORIS COLLAT. LEG. MOSAIC. et ROM.<sup>m)</sup> ipsiusque adeo IVSTINIANI<sup>n)</sup> testimonii satis confirmatur. Multo minus praeterea patiebatur ius ciuile, vt, si suis heres eo iure heres esse nollet, posset ille sibi ipsi succedere, et admitti denio tamquam proximus agnatus, Nam cum iure ciuili suis heres etiam esset necessarius, fieri non poterat, quin heres esset tamquam suis, neque altera lex XII. tab. deferebat hereditatem agnato proximo, quam si suis heres nullus existeret. Sic enim legitur in fragmentis: *Si suis heres nec est, agnatus proximus familiam habet.* Praetor autem videns, hanc ciuilis successionis viam angustiorem esse,

B 2

quam

i) PAVLLVS Recept. Sentent. L. IV. Tit. VIII. §. 23. ibique Schultingius.

k) CAIVS Instit. L. 3. Tit. VIII. §. 4. ibique OISELIVS.

l) VLPIANVS Fragm. Tit. XXVI. §. 5. et cap. I. §. 8. D. de suis et legit. heredibus.

m) COLLAT. LEG. MOSAIC. et ROM. Tit. XIII. §. 2. ap. Schulting. p. 793. edit. Lugd.

n) IVSTINIANVS §. 7. Inß. de legit. agnat. success.

quam par esset ad successores defunctis inducendos, non tantum  
 hoc additum voluit in constituendo iure de bonorum possessio-  
 nibus ad instar hereditatum, vt post agnatos deferretur posses-  
 sio cognatis, ac post cognatos aliis etiam personis antea iure ci-  
 uili incognitis, sed etiam vt ii, qui tamquam liberi admitterentur  
 ad bonorum possessionem, si forte a capite *Vnde liberi* essent  
 exclusi, possent tamen adhuc admitti ex capite *unde agnati*,  
 subinde vero ex capite *unde cognati*, siue tempore prius ius amise-  
 rint siue repudiatione. Patet ex his, quae diximus, ius praetorium  
 a ciuili in ordine et iure succedendi multum differre. Sed, in-  
 quis, quid prohibet edicti successorii partes iure saltem nouo ad  
 ciuilem hereditatem accommodare, eidemque liberis delatae tri-  
 plex praescriptionis tempus praefinire? Hoc vero nunc agamus,  
 vt appareat, totum edictum successorium ad bonorum possessio-  
 nes tantum pertinere, non ad successiones ciuiles, et ne nouo qui-  
 dem iure ad has transferri posse. Scilicet sicut Praetor non po-  
 nit facere heredem, sed tantum bonorum possessorum, ita nec  
 interpretibus licet edictum praetorium ultra suos fines ad alias di-  
 uersas cauissas extendere. Et sane quam longe distet hac parte he-  
 reditas a bonorum possessione, intelligi potest ex ipsa ratione,  
 quae successorium edictum induxit. Sic enim **V L P I A N V S** pree-  
 fatur in *cap. I. pr. D. de success. editio.* non aliam ob cauissam edictum  
 illud comparatum esse, quam ne bona diutius vacantia iacerent,  
 et vt sciant creditores, cum quo congredi possent. Quid autem  
 huic optimò Praetoris consilio magis contrarium excogitari pot-  
 est, quam si inducatur, vt hereditas per nonaginta annos iaceat?  
 Nonne id fuit longe alienum a mente Praetoris? Nimirum pe-  
 tendae possessionis tempora multo breuiora et angustiora  
 sunt, quam adeuindae et petendae hereditatis, cum extra cauissam  
 liberorum, qua parte vocantur *Vnde liberi* intra annum in hono-  
 rem sanguinis, non nisi centum dies petendae bonorum posses-  
 sioni a Praetore definiti sint, ius vero adeundi aut post aditionem  
 peten-

petendi hereditatem non nisi tricennio finiatur. Mala igitur omnino est argumentatio a bonorum possessione ad hereditates, ab uno anno vel centum diebus ad triginta annos, ab anno et ducentis diebus ad annos nonaginta. Quod si enim ipsa bonorum possessio, triplici licet ex ratione liberis competens, non nonaginta annos dureret, sed vnius anni cum ducentis diebus lapsu penitus perimitur, quomodo, quaequo, nonagenariam praescriptionem in petenda hereditate ciuili inde elicias, etiam si paullo liberalior essem, tibique argumenti alicuius a bonorum possessione ad hereditatem ciuilem ducendi veniam darem? Sunt praeterea adhuc aliae quaedam rationes, quae quantum aduersariorum sententia vel cum ipsis noui iuris Iustiniane analogia pugnet, satis demonstrant, a COCCII<sup>o</sup>) patre et filio in primis allatae. Nempe cum Iustinianus in Nou. n. 8. C. 4. praeceperit in omnibus successionibus agnatorum cognatorumque differentiam vacare, et omnes sine qualibet huiusmodi differentia secundum proprium cognitionis gradum ad cognatorum successionem ab intestato venire, patet profecto, confusa hodie esse agnitorum et cognatorum nomina ac iura, et pariter eos succedere, nec esse amplius diuersos ordines, vnde agnati et vnde cognati succedunt. Quapropter nec filii ex his diuersis capitibus duplex aut triplex competere hodie poterit hereditatis petitio. Adde, eandem ob causam ne ipsam quidem triplicem bonorum possessionem liberis ex successorii edicti ratione olim competentem adhuc valere. Quod si porro ad ipsos succedendi ordines a IVSTINIANO constitutos attendat aliquis, non potest non statim pugnam triplicis hereditatis paternae petitionis cum iuris analogia grauissimam videre. Succedendi enim ordines non amplius distinguuntur liberorum diuersis qualitatibus, sed in vniuersum tres classes heredum, de-  
 scendentium scilicet, adscendentium atque collateralium ita de-

## B 3

scriptae

o) HENR. COCCEII in Diff. de eo, quod iustum est in dubio. Sect. VI. §. 9. et  
 SAM. COCCEII in J. controv. ciuili Tit. D. de hered. petit. Quaest. 22

\* \* \*

scriptae sunt, ut nemo duarum aut omnium classium conditionem habere possit. Itaque qui est filius patris sui, non potest eiusdem etiam esse adscendens atque collateralis, eidemque tamquam filius, tamquam adscendens, et tamquam collateralis succedere, adeoque sui patris filius, pater et frater videri. Nec iam per naturam fieri potest, ut filius, qui exclusus temporis lapsu ab ordine liberorum, deinde existentibus defuncti adscendentibus ut agnatus vel cognatus succedat, cum adscendentibus nouo iure eos praecedant, adeoque liberos non statim sequatur ordo cognatorum, sed parentum, ex mente *Nou.* 118. C. 3. et 4. Fac itaque parentes non exstare, manet tamen hoc dubium, quod filius sui ipsius frater esse nequeat. Vnum adhuc adiecit *c o c c e i v s* pater argumentum, quod, si successorium editum ad successionem ciuilem et in primis hodiernam adplicetur, consequatur inde, ut non soli liberi, sed omnes etiam agnati dupli iure veniant, agnatorum scilicet et cognatorum, adeo, ut hi sexaginta demum annis excludantur, cum in successione ciuili inter successionem liberorum et agnatorum nulla sit differentia, nisi ordinis. At vereor, ut hoc aliquid efficiat contra aduersae sententiae patronos. Nam est omnino cum veteri tum novo iure praeter ordinem magnum inter liberorum ac agnatorum successionem discrimen, v. c. ius legitimae portionis, aliaque multa, quae ex compendiariis libellis possunt disci, ut adeo, quod ille inde argumentatus est, profecto defendi nequeat. Quid vero opus in re tam clara atque aperta pluribus argumentis?

### §. VII.

#### *Tertium argumentum refellitur.*

Venio ad ultimam eorum, quibus nonagenaria praescritio liberorum placet, rationem, quae ab interpretum consensu forique usu petita est. Evidem credo, fore neminem, qui sentiat, quam leue sit argumentum, quod auctoritate nititur. Sed hoc iam non disputabo, demonstrurus potius, tantam, quantum

tam passim prae se ferunt scriptores, auctoritatem nec olim habuisse hanc sententiam, nec nunc habere. Nam quod vulgo ad BARTOLVM<sup>p)</sup> atque BALDV<sup>q)</sup> quasi auctores huius opinio-  
 nis prouocant, id ex vtriusque interpretis verbis ertii nullo modo potest, vt iam monuit, et, licet non satis accurate, exposuit LUDOVICVS<sup>r)</sup>. Vterque enim longe aliam quaestionem tractauit, nempe: Vtrum liberi in testamento instituti triginta annis praeterlapsis possint adhuc sequenti tricennio tamquam heredes ab intestato hereditatem paternam habere? candemque affirmare non dubitauit, quamvis citra iuris ciuilis rationes, cum nemo possit simul testatus atque intestatus decedere, neque aliquis si-  
 mul ex caussa testati atque ex caussa intestati succedere. Hi igitur non de nonagenaria, sed de sexagenaria praeescriptione iuri-  
 ris hereditarii liberorum cogitarunt, neque eam tam ex editi suc-  
 cessorii rationibus, quam potius ex diuerso hereditatem deferendi  
 modo, testamentario scilicet atque legitimo, defendere instituerunt. Accedit, quod verbis horum interpretum paullo accura-  
 tius inspectis facile intelligatur, eos non de petitione hereditatis,  
 sed quae ab hac sane longe diuersa est, de additione hereditatis lo-  
 cutos esse. Vnde apparet, nihil praesidii hanc, quam impugna-  
 mus, sententiam in BARTOLI ac BALDI auctoritate reperi-  
 re. Nolle tam negare, male intellectam mentem vtriusque inter-  
 pretis anam reliquis praebuisse, qui hunc errorem inducerent,  
 inuestigatumque propagarent. Non autem tam communis facta est  
 haec opinio, vt vnamini forte ICTORUM consensu, quemadmo-  
 dum cum CARPOZOVO atque PHILIPPO multi putant, ea  
 comprobaretur. Certe a renata iurisprudentia non desuerunt,  
 qui eam reprobarent atque infringenter, quorum agmen dicit  
 ANTONIVS FABER. Inprimis vero cum elapso, tum nostro se-  
 culo

p) BARTOLVS ad L. I. D. de success. editio.

q) BALDV ad L. 8. C. de f. deliberandi.

r) LUDOVICI Diff. cit. §. 17. 18. 27 et 32.

culo exsisterunt quam plurimi forenses ICti sat celebres, qui cognita veritate ab ea lubenter recesserunt. Liceat, ne exempla desideres, huius rei caussa STRYCKII<sup>5)</sup>, BERGERI<sup>6)</sup>, WERNHERI<sup>7)</sup>, atque LEYSERI<sup>8)</sup>) Manes euocare, ut alios taceam. Quod si vero usum fori virgeas, habeo, quod respondeam. Usque ad CARPZOVII aetatem, et forte adhuc paullulum post, secundum eos, qui nonaginta demum annis liberis hereditatis petitionem praescribi existimabant, in foro vbius pronuntiatum fuisse, omnino largior. Postea vero et nostris imprimis temporibus hanc opinionem e foris vel omnibus, vel plerisque tamen proscriptam esse, res iudicatae apud STRYCKIVM, BERGERVM, WERNHERVM, LEYSERVUM, LUDOVICVM ac CRELLIVM l. c. obuiae satis loquuntur.

### §. VIII.

*Altera sententia de tempore CXX. annorum.*

Prima igitur sententia de nonagenario praescriptionis tempore in caussa liberorum heredium necessario et exposita, et profigata, iam de iis videamus, qui ius liberorum in petenda hereditate paterna demum centum et viginti annis praeterlapsis extingui volunt. Hoc vero obtainere, aiunt, in caussa testamentaria, si quidem liberi a patre vel alia persona ascendentem fuerint scripti heredes. His enim tum competere quadruplicem hereditatis petitionem. Nam filium ante omnia ex testamento intra triginta annos hereditati paternae se immiscere, eandemque petere posse a possessore, secundum regulam praescriptionibus in L. 3. C de praefcr. XXX. v. XL. annor. definitam, postea vero illo tempore elapsio, eundem nihilominus adhuc tamquam ab intestato successionem

5) STRYCKIVS intr. de success. ab intestato Diff. IX. C. II. §. 39. et in usu mod.  
Pand. ad Tit. de acquirenda vel omitti hered. §. 3;

6) BERGERVS in Oecon. Inr. lib. II. Tit. IV. §. 54. n. 11.

7) WERNHERVS in Observ. forens. P. III. Obs. 60.

8) LEYSERVVS in Meditat ad Pand. Spec. XCIV. §. 8. Cor. I.

sionem habere et quidem ex successorii editi ratione, ita, ut intra tria separata tricennia ex tribus eius capitibus *vnde liberis, unde legitimi et unde cognati* et succedere et petere agnitam hereditatem possit. His demum quatuor tricenniis, h. e. centum et viginti annis praeterlapsis, eius ius penitus peremptum esse censendum. Sed hi turpius adhuc errant illis, qui nonagenariam praescriptionem defendunt. Nam non solum cum illis editum successorium ad hereditates ciuiles trahunt, atque ab anno praetorio centumque diebus ad triginta annos argumentantur, verum praeterea duplex ius hereditarium, testamentarium atque legitimum, in uno homine ac in eadem hereditate ita concurrere posse statuunt, ut uno extinto alterum incipiat. Primum errorem, cum iam confutauerim, non denuo attingam. Ergo de nouo tantum dicendum. Nam ut taceam, successorio edito in causa testati nullum plane locum esse, quod vel ex serie titulorum Pandectarum ab VLPIANO in cap. I.D. sitab. test. null. ex tab. accurate indicata sine negotio intelligitur, et ab ANTONIO FABRO<sup>y)</sup> copiosius disputatum fuit, non tamen satis mirari possum, quid sit, cur nonnulli fibi persuaserint, posse aliquem primum ex testamento, deinde iusto tempore elapsō adhuc ab intestato hereditatem petere. Repugnat sane haec sententia iuris ciuilis regulis quam maxime. Ita enim fieret, ut testator partim testatus partim intestatus decederet. Ergo nec plures esse possunt hereditatis petitiones, partim ex testamento, partim ab intestato filio successu temporum competentes.

#### §. IX.

##### *De tercia opinione.*

Alia eaque plane singularis hac de quaestione opinio SICHARDI<sup>z)</sup> occurrit, qui et ipse quidem liberis paternam et autam hereditatem potentibus praescriptionis tempus, quo hereditatis

y) ANT. FABER *de Err. Prag. P. II. Dec. XXIX. Err. §.*

z) IO. SICHARDVS *ad L. 2. C. qui adm. ad bon. possit.*

C

tatis petitio excluditur, laxauit, sed intra augustiores tamen terminos illud continuit, quam ii, cum quibus nobis antea res fuit. Is enim quoque Praetorem fecutus ea ex parte edicti, qua liberis et parentibus annus, intra quem bonorum possessionem peterent, ceteris propinquis centum dies constituti sunt, idque tempus, ut utile sit, definitum, colligi posse putat, heredes ab intestato succedentes triginta annorum praescriptione a petitione hereditatis exclusos iure praetorio adhuc intra annum, si sint liberi aut parentes, si cognati, intra centum dies bonorum possessionem consequi posse. Inde esse dicit, ut post triginta annos hereditate quidem ciuili, sed nondum tamen praetoria liberi omnino excludantur, adeoque eorum ius petendi hereditatem non nisi vnius anni post triginta lapsu perimitur. Sed quantum monstri alat haec sententiam, vel ex eo perspici potest, quod, si eam sequamur, necesse sit statuere, posse aliquem simul ex iure ciuili atque ex iure praetorio succedere. Bonorum quippe possessio in subsidium atque iuris ciuilis corrigendi caussa a Praetore inuenta non locum habet, nisi aliquis aut non vocetur iure ciuili, aut malit, relictâ hereditate ciuili, praetorio iure vii. Cum autem tempus petendae bonorum possessionis currat ab eo momento, quo aliquis ea vti potuit, patet, non posse aliquem hereditate ciuili per praescriptionem amissa demum ad ius praetorium recurrere. Plura hanc in rem disputata apud WISSENBACHIVM<sup>a)</sup> atque CRELLIVM<sup>b)</sup> inuenies.

### §. X.

#### *Vera sententia proponitur.*

Haec, quae haec tenus disputauit, satis aperte, ut opinor, demonstrant, non idoneas ab iis afferri rationes, qui tempus hereditatis petitionis liberis longius definiunt, ac extraneis heredibus. Inde quidem prono iam alueo fluere arbitror, cum veritate et regulis iuris eam solam sententiam conuenire, qua defenditur, hereditatis petitio-

a) WISSENBACHIVS *Exercit. ad Pand. P. II, Disp. XIV. ad Libr. XXXVIII.* §. 19  
 b) CRELLIVS *Disp. cit. §. XI. et XVII.*

petitionem etiam contra liberos longissimo tempore triginta annorum omnino praescribi. Attamen, ne haec opinio, quam solam veram iudico, propria vi ac potestate destituta videatur, age, quae ad eam confirmandam faciunt, proponamus. Est autem extra omnem dubitationem positum, regulae standum esse, donec proabetur exceptio. Quod igitur leges de vniuerso aliquo cauſſarum genere constituerunt, id de singulis ſub eo comprehenſis ſpeciebus non potest non valere, niſi fit, qui ipsarum legum auctoritate demonſtret, dari ſpeciem, in qua iuris regula exulet. Hoc ſi ad noſtram ſententiam accommodaueris, veriſimilam eam eſſe deprehendes. Mo-  
 nui ab initio, lige 7. C. de petit. hered. cum L. 3. C. de praefcr. XXX et  
 XL annorum coniuncta, de hereditatis petitionis tempore hanc ge-  
 neralem regulam eſſe receptam, vt ea intra triginta annos ab here-  
 de non instituta plane pereat. Poſſunt autem eſſe variae species he-  
 reditatis petitionis, ſicut varia dantur et heredum et iuris hereditarii  
 genera. Sic v. c. heredes ſunt vel liberi, vel extranei, ſuccedunt por-  
 ro vel ab intestato, vel ex testamento. Omníbus tamen heredibus  
 competit contra poſſefforem petatio hereditatis. Iam vero in iipſis  
 hiſce legibus nullum diſcrimen heredum ac iuris hereditarii  
 in petenda hereditate factum legitur, ſed omníbus vnum tempus,  
 quo haec actio extinguitur, praefinitum eſt. Neque aliunde le-  
 gitimo modo demonstrari potest, quibusdam heredibus, v. c. li-  
 beris, longius ſpatium ad petendam hereditatem relictum eſſe,  
 quam reliquias. Nam quae ab aduersariis in medium proferuntur,  
 ea ſalua iurisprudentia non defendi poſſe, ſupra vidimus. Quid  
 igitur ſuadeat credere, liberorum cauſſam hic fauorabiliorem eſſe  
 iure extraneorum heredum, regulamque de praefcriptione here-  
 ditatis petitionis ad eos non pertinere? Sane, vbi nulla exceptio  
 facta eſſe intelligitur, ibi regulam locum habere oportet. Ergo  
 ſtat mea ſententia, eademque hodie ab omníbus fere adoptata,  
 etiam liberos ius hereditatem paternam vel autam petendi trigin-  
 ta annorum lapsu amittere. Aliis argumentis non vtor, hoc  
 vnum grauiſſimum eſſe ratus.

P R A E S I D I S  
E P I S T O L A  
A D H U M A N I S S I M U M D E F E N S O R E M .

**L**aetor mirifice, mihi abs TE, NOBILISSIME  
KLETTI, munus praefidis in eo, quod eruditio[n]is  
TVAE demonstrandae cauſſa intra paucos dies cum  
viris doctis habiturus es, colloquio esse demandatum. Nam cum  
affiduam diligentiam, attentumque in iurisprudentia tractanda ani-  
mum per hos tres annos, quos scholis meis interfueristi, mihi omnino  
comprobaueris, non possum non maxima cum mea voluptate in certami-  
nis literarii sub finem studiorum TVORVM abs TE incundi so-  
cietatem venire, augrans, fore, vt si cum laude ex eo discessurus.  
Scis, me TIBI esse amicissimum. Quare non est, vt amicitiae con-  
testationes multas a me exspectes. Nec ego de TVO in me animo  
dubito, quem ut absens serues, oro rogoque. Vale.

**ULB Halle**  
004 053 532

3



88







Pr. 62. num. 41.

1769, 29. 3

DE  
**IVSTO PRAESCRIPTONIS**  
**TEMPORE IN PATERNA**  
**HEREDITATE PETENDA**  
**LIBERIS DEFINITO**

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

*P. 304.*  
**AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT**

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE  
 ANTIQVITATVM IVRIS PROFESSORE PUBLICO, ACADEMIAE ELECT.

MOGVNTINAE SCIENT. VTL. SOCIO ORDINARIO,  
 ET SOCIETATIS LATINAIE IENENSIS  
 COLLEGA HONORARIO

DIE XXXI. JAN. A. O. R. CICICCLXIX.

H. L. Q. C.

D I S P U T A B I T

**HENRICVS GOTTHELFF KLETTE,**  
 D R E S D E N S I S

L I P S I A E  
 EX OFFICINA LANGENHEMIA.

